



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

XXI. An peccatum originale sit Actuale?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

substantialiter Adam fuisset post lapsum, quam ante fuerat. &c.

DICO AD I. Scripturâ figuratè loquitur, cum de peccato verbis substantiam significantibus utitur; sic Cor est cogitatio cordis; *vetus homo* est vita *vetus*; *corpus peccati* est congeries peccatorum; &c.

AD II. Fac ista ita esse; non sunt tamen: nihilominus non sequitur, peccatum orig. aut concupiscentiam esse substantiam, seu fontem omnis peccati.

AD III. Kemnitio insolubile. At pugnans cum lege Actio est accidens, non substantia; & accidens priuativum, non positivum, id est carentia rectitudinis. Et actio non est homo agens: quare nec peccatum est homo peccans.

AD IV. Imago Dei est natura animæ; & ea non est amissa per peccatum, aut transformata, ut Origenes erravit: teste *Epiph. her. 6. 4.* proinde nec peccatores gerunt naturam diaboli.

QVÆSTIO XXI.

*An peccatum Originale sit
Actuale?*

LUTHERANI multi aiunt, nilque distinguunt: ut *Lutherus in Assert. art. 3.* Impossibile ait, ut fomes sit absque actuali peccato. *Ibid. Originale peccatum, ut omnia peccata, ita & incredulitas est.* Art. 2. Fomes, seu Concupiscentia est peccatum orig. In Gen. 2. *Pec. orig. est incredulitas, desperatio. &c. Ideo fomes est verè peccatum actuale.*

Melanch. in Locis anni 1522. *Pec. o. est nativa propensio, & genialis impetus & energia, qua ad peccandum trahimur. propagata ab Adam. &c. Scriptura non vocat hoc orig. hoc actuale: Est enim & orig. pec. planè actualis quedam cupiditas.*

Kemnitius ad sess. 5. pag. 456. Similiter primum mentis in vtero motum esse rem malam; ut & deliberatus.

AVTOR. Pec. originale non est actuale: Nec infantes concepti vel nati usum habent mentis seu bonum, seu malum; neq; vel primos motus. Quia S. Aug. l. 1. de pecc. merito. c. 35. ridet Pelagianos quosdam, id fabulantes actualia esse peccata: ut contrarium Scripturæ, Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali,* sc. Iacob & Esau, Deut. 1. *Filij, qui ignorant distantiam boni & mali.*

Sed variant ideo, dicuntq; p. o. est actuale, i. actualis privatio seu defectus rei, qua debet adesse, sc. iustitiæ or. 1. & actualis positio infirmitatis, & aliorum affectuum, qua deesse debent. Rectè hoc; malè istud, *Pec. orig. est actuale.*

QVÆSTIO XXII.

*An relicta ex pec. orig. Vulnera sint ipsum
Originale peccatum, ac damnent;
nisi Deus ea non im-
putet?*

LUTHERANI, itemque CALVINIANI communiter affirmant. *Lutherus in assert. art. 2.* Melanch. in Locis. Concupiscentiam naturâ suâ esse reatum ait. Sic & Kemnitius, cæterique communiter.

CALVINVS, Inst. 2. c. 1. §. 8. Sic definit pec. or. *Hereditaria natura nostra prauitas & corruptio, qua primum facit reos iræ Dei; tum etiam opera in nobis profert, qua Scriptura vocat opera carnis:*